

¶ 7. *Multi dicunt quis ostendit nobis bona?* Luculenta adhibetur hic à patribus expositio, qui sensum istorum præcedentibus in hunc modum conjungunt. Sacrificate, id est, operamini opera iusta & pia, Deoque grata instar optimi sacrificii; sed ad eam exhortationem opponunt multi huiusmodi responsionem, dicentes quis ostendit nobis bona? quis nobis iustè operantibus iustam mercedem contulit, seu conferre decrevit. Cui duplici modo à Propheta fit satis, primo: sperate in Domino, committite scilicet hoc paterno affectui & curæ Dei, qui certo certius mercedem rependet. Secundo neminem de mercede aliquando obventura prudenter dubitare posse indicari subdendo, signatum est super nos &c. Signum nempe divini favoris & affectus tui habemus Domine, beneficentiam perpetuam lumine vultus expressam, quæ bonorum ac largitatis continuis effundit & in nos vibrat radios. Lumen igitur vultus est lucida ac serena facies, quæ lætum erga nos benevolam quempiam atque beneficentiam exhibet. Ita S. Chryso- st. & recentiores bene multi. Quæ nihilominus magno consensu sic ab Hebraicantibus legitur interpretata. Multi dicunt ex conjuratis contra me Israelitis, quis faciat ut optatis potiamur, hoc est, Davidem regno eiec- tum & interfectum videamus? Illi itaque exoptant & dicunt de sua rebellionem, quis ostendet nobis bonum, nempe ut fastè succedat Absalomi rebellio & moriatur David, & regnet filius ejus. Sed tu Domine eleva super nos lumen vultus tui. Multi præsentibus in hæretici delectati vanis illecebris, ego vero & populus meus, inquit iustus Rex, dicimus eleva &c. totum enim desiderium nostrum eo contendit ut fruamur lumine vultus tui in futuro sæculo. Ita Kimhhi. At alii ad præcedentia convenientius exposuerunt attolle super nos &c. Habeo, inquit, David, adversarios multos, alii aliis rebus fidunt; tantum ego benevolentiam tuam opto, & ea sola fido. Precor igitur ut tuo favore nos prosequaris. Ut odium vultu declaratur; sic & favor: quos enim amamus, suaviter & hilariter intuemur; lumen vultus vocat vultum lucidum, fac ut appareat nobis quod nos diligas respiciendo ad nos.

¶ 8. *Dedisti lætitiā in corde meo &c.* Ut præcedentibus cohæreat subsequentiā, hæc verba interpretari volunt auctores hunc modum: illi quidem malum pro bono mihi rependunt; sed tantum abest ut hostibus meis invidiam, ut illis etiam gratuler & sit gaudium cordi meo propter ubertatem frumenti & vini, id est, omnium rerum ad vitam necessarium copiam: hoc autem maximo tuo dono habeo, ut eorum felicitate gaudeam, non doleam.

¶ 9. *In pace in idipsum dormiam &c.* Ego sane hucusque optavi felicitatem eorum, ipsi licet palam mihi mala exoptent, ut una ego & ipsi in pace vivamus; ac spero futurum te duce ut mihi hostes ita reconciliantur, ut cum illis tuto tandem & quiete cubare possim, & in eorum cætu dormire. Quoniam tu Domine singulariter, id est solus in hac spe habitare facis, id est, tu Domine solus hoc efficias, & in te solo, non in alio fiduciam constitui meam, tua ergo fretus erga me singulari providentia deinceps placidè dormiam & quiescam.

Mystica ejusdem.

Incongruum existimavit Hieronymus, psalmum de Davide istum accipere; ac totum ad Christum & per Christum ad iustos referendum docet. Cui expositioni consensit sanctus Augustinus & in eo verba domini hominis post resurrectionem expectari debere voluit, aut hominis in Ecclesia credentis & sperantis in eum. Brevem itaque secundum præsentis instituti rationem, mysticam & allegoricam psalmi huius expositionem afferemus.

¶ 1. *Cum invocarem &c. In tribulatione dilatasti mihi.* Ab angustiis tristitiæ in latitudinem gaudiorum me duxisti. Hominis penitentis propria locutio hæc est: primum enim in angustia positus peccati (tribulatio enim & angustia in omnem animam hominis operantis malum) in latitudinem charitatis transiit, in quo gaudium spiritus, & fructum iustitiæ percipit. Et qui de Ecclesia in ista hanc intelligi sciscunt, expeditam habent in ea sententia patrum expositionem, sanguis martyrum est semen Christianorum. Cujus fundamentum in Parabolis etiam Christi Domini positum legitur, ubi ait, Nisi granum frumenti &c. Si autem mortuum fuerit crescit in immensum & in plurima multiplicatur ac dilatatur segete.

¶ 3. *Filii hominum &c.* Quando habituri estis, ait S. Aug. finem fallaciarum, si veritate præsentem (id est Christo per incarnationem) non habueris. Ut quid vultis beati esse de infimis? sola veritas facit beatos, ex qua vera sunt omnia. Ut quid tanquam prima, extrema sectamini, quod est vanitas & mendacium? cupitis enim permanere vobiscum, quæ omnia transeunt tanquam umbra.

¶ 4. *Et scitote quoniam admirabilem fecit,* seu magnificavit ut habent psalteria Romanum usitatum vetus, Germanense primum, & Carnutense. Sanctum suum, cum nempe quem suscitavit à mortuis & in cælo ad dexteram suam collocavit. Sive quemlibet ex sanctis suis, in quibus se mirabilem ostendit: Mirabilis Deus in sanctis suis.

¶ 5. *Irafcimini & nolite peccare.* Domate concupiscentiam vestram ut supra, & irascimini vobis penitentiam agendo, irascimini vobis ipsis de præteritis peccatis, & ulterius peccare desinite.

¶ 6. *Sacrificate sacrificium iustitiæ.* Hoc est spiritum contribulatum, qui non absurdè accipitur pro sacrificio iustitiæ, quod fit per penitentiam. Quid enim iustus, quam ut suis unusquisque peccatis, quam alienis potius irascatur, seque ipsum puniens mactet Deo?

¶ 7. *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Qui sermo & quæ interrogatio quotidiana est omnium stultorum & iniquorum, sive pacem & tranquillitatem vitæ secularis desiderantium: sive de ipsa futura vita, quæ nobis promittitur dubitantium vel desperantium... sed homines temporalia sectantes nihil aliud noverunt dicere; cum vera & certa bona intra seipsos videre non possint. Signatum super nos lumen vultus tui. Lumen istud per imaginem Dei nobis impressum interpretatur Aug. sed tale signum in gementium frontibus in Libro Ezechiel Proph. notari Dominus præcepit, inquit S. Hieronymus, qui hoc de cruce Domini frontibus impressa intelligit.*

¶ 9. *Quoniam singulariter in spe.* Bene posuit singulariter. Singulares enim & simplices, id est, secreti à multitudine ac turba nascentium rerum ac morientium, amatores æternitatis & unitatis esse debemus, si uni Deo & Domino nostro cupimus inhaerere.

IN PSALMUM QUINTUM.

Hanc *תפלה אשפילהלל*, orationem in persona Ecclesiæ, vel animæ afflictæ Davidem edidisse multi volunt. Quem etiam psalmum ex inscripto Lemmate Ecclesiæ necessario adscribendum magno consensu docuere Patres. De Ecclesia, inquit Hieronymus, quæ in fine & consummatione mundi hereditatem consequutura est universis nationibus Christo credentibus psalmus iste contextitur. Denique ex persona ejus oratio ad Dominum dirigitur. His simillima, si non eadem forte, assert Aug. dum ait: intelligitur Ecclesia quæ accipit hereditatem vitam æternam... vocata invocatur Dominum, ut eodem opitulante pertranseat nequitiam sæculi huius, & ad eum perveniat. At Hebræi ferè omnes supplicem hunc libellum hostes adversus suos Doegum nempe, ac Architophalem, alterum sanguinarium, dolosum alium atque insidiatorem, elucubrante regium vatem constanter asseverarunt. Ex quibus sane perspicuum fit, scripturæ huiusmodi duplicem inesse sensum litteralem, quæ propterea Davidi propria maneat, ac Ecclesiam insuper Christi directè respiciat, quamquam istud ceteroquin addi posse videatur, membrum scilicet Ecclesiæ Deo supplicem deprecans, Ecclesiam in se clamantem representare.

¶ 1. *In finem, pro ea quæ consequitur hereditatem; psalmus David.* Ne eadem sæpius recantare videamur, nihil de voce, in finem, dilucidata satis superque superius, quidquam afferre necessum erit; sed ut clariora Tituli præsentis appareant verba, variantes de eodem lectiones adnotasse multum juvabit. Græca itaque 70. interpretum habent, *ἄρα τὸ κληρονομήσει* de ea quæ hereditatem est consequutura. Germanense vero psalterium primum, id est sancto Germano, ut fertur usitatum hanc lectionem præ se fert, pro his qui hereditabunt, Carnutense secundum Græcum simpliciter legit, pro hereditate. Quæ lectiones in ipsissimum conspirant intellectum, ut nihil in iis præter Ecclesiam æternam hereditate donandam intelligi liceat. Hebræi autem qui læ-

gunt *אשר-הנהיגו* in musicis concentibus super nehiloth, sive carmen Lyricum præfecto cantorum à Davide commissum. Instrumentum musicum interpretantur Rabbi hñai opinionem fecit, qui vocis nehiloth significationem deducit à vocabulo *נהיל*, nihil quod apud Thalmudistas examini apum designat. Ac si vellet dicere sonum illius instrumenti similem esse susurro apum, *לשריקת דבורים*. Lyram putant aliqui hoc esse instrumentum. Verum hoc sensu Lemma præfens acceptum nihil habebit in se splendidum, seniorum igitur 70. lectionem retinendam iudicamus, propter sacramentum occultum quod inscripta verba declarant. Quare de Ecclesia titulum accipimus, cum ea sit quæ cælestem hereditatem consequitur, pro qua in hoc mundo luctatur. Ita Chryl. Aug. Theodoretus.

¶ 2. *ad 5. Verba mea auribus percipe Domine.* Nullus, inquit Hieronymus. huius orationis formulam usurpare præsumit, si Ecclesiam excipias. Nullus habet hanc fiduciam nisi Ecclesia. Qui peccator est, qui maledicus non est ausus dicere: Verba mea auribus percipe; sed optat ut Deus claudat aures suas. Intellige clamorem meum. Clamor in scripturis non vocis, sed cordis est. Quando igitur gemitus noster & conscientia deprecatur, illum clamorem intelligit Deus. Quando quidem vox corporalis auditur, spiritualis intelligitur. Iste sensus sponte ex ipso textu oriri videtur, qui hanc excusum reddit lectionem intelligi meditationem meam, interiore nempe cordis ac spiritus deprecationem. Sed revera metaphorica ibi est, nec sapientibus criticis contemnenda locutio: ad Deum enim preces suas dirigit Propheta veluti ad hominem sensibus corporis utentem, qui sæpe aliis rebus distractus, à supplicante sibi rogatur ut sit attentus, neve aurem suam alio divertat, sed totus hæreat sermonibus suis. Exaudire autem Dei ac intelligere, nihil aliud quam voluntatem divinam humanis vocis respondentem, ac perita annuente accipias. Mane astabo tibi. Id est, mature, tempestive astabo tibi supplicem per mentis elevationem & preces quas offeram. Et video. Hebr. *Speculabor* & contemplabor te quasi præsentem mihi in omnibus, cui proinde tanquam optimo hero ad nutum tuum servitium meum omne deferam: & à quo vicissim totam contra hostes opem & præsidium præstolabor. Neque enim tu Deus es volens iniquitatem, Hebr. Non delectaris, non amas, non vis ut iniquè seu injustè me opprimant hostes mei, impii homines. Metonymiam adverte, iniquitatem scilicet pro iniustis & iniquis hominibus.

¶ 6. *ad 10. Neque habitabit juxta te malignus &c.* Certè cum tibi non ardeat malitia, tecum impius compati nequibit, neque permancunt iniusti ante oculos tuos, quorum aspectu minimè delectaris. Sensus horum verborum de sumendum est ex e ratione agendi, quæ quis agrè alium sustinet, in cuius faciem nec oculos præ odio conjicere potest. Quæ sunt igitur homini propria, Deo, ut superius monui, symbolice tribuuntur. Oñium autem Dei, inquit Aug. ex illa locutione intelligendum est, quæ odit peccator quique veritatem. Videtur enim quod & illa odit, quos in se manere non sinit. Non autem manent qui eam sustinere non valent. Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Seu ore, seu corde, seu opere, hoc est, falsos dolos, & fraudes hostiles. Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus. Hic occurrit mos Linguae sanctæ, quo fit sermo modo in secunda persona, modo in tertia in eodem versu. Ego autem in multitudine misericordiae tuæ. Fretus nempe ampla bonitate, adjutrice misericordia tua, cum reversus fuero ab exilio, adibo domum tuam, ut antehac semper feci, & interim quod mihi non liceat te in templo adorare, conversus ad tabernaculum fœderis te colam, servata reverentia quam omnes tibi debent, impellente ad id ingenuo timore quo timo mihi à te. Adorabo ad templum tuum, dixit Propheta, quoniam qui Deum adoraturus erat, suam intentionem ac studium in templum & locum sanctum, convertebat, & versus illum conversus adorabat Deum. Porro per illa verba, domum tuam, & templum sanctum, Kimhhi cum intelligit locum in quo tum erat Arca. Domine deduc me in iustitiam tuam. Id est, per viam iustitiæ & virtutis tuæ, per iustitiam quam doces, & virtutem quam probas, da ut vivam cum summa innocentia, ne peream insidiis, quæ mihi struunt hostes mei. Alio etiam modo exponitur, rogo te per eam benignitatem qua præditus es ut deducas me propter eos qui insidiantur vitæ meæ, & sic dirige in conspectu tuo

actiones meas, ut placeam tibi per omnia: dirige, inquam propter inimicos meos, ne ipsi crimen aliquod in me reperiant quod merito mihi exprobrant, & ob quod me iustè persequi videantur. Rogo itaque ut me adjuves, quo per iustitiæ & iudicii tramitem incedam, & me per illum ita dirigas ut non impingam. Quoniam non est in ore ipsorum veritas &c. fac me itaque irreprehensibilem & in conversatione mea valde cautum. Periclitor propter inimicos meos, improbos omnino, qui cum verbis simulatè amicos se exhibeant, intemum cor eorum vanum est, sive ut habet textus, eorum pravum est, plenum videlicet machinationibus, dolis, ac fraudibus.

¶ 11. *ad ultimum. Sepulchrum patens est guttur eorum.* Id est, instar aperti sepulchri os eorum exhalat mendaciorum teterimum odorem, ac pestilentem detractionum & lycophantiarum factorem. Ita Chryso. non sepulchra sunt dealbata virtutis simulatione & clausa, de quibus in Evangelio Christus Dominus, sed spurcitiæ peccatoris os apertum in circumstantes evomit. Hanc similitudinem qui in Davidem omni ex parte ipsum quadrare volunt, metaphoræ sensum hoc modo definiunt, ut propterea sepulchro aperto & cadaveribus pleno simile dicatur hostium Davidis guttur; quod sicut sepulchrum apertum expectat cadaver quod conficiat & exeat: ita hostes illi sua blandiloquentia eò tendebant, ut Regem ad se pellectum perderent & subverterent, hoc est à Deo deficere facerent. Hi nimirum linguis suis dolosè agebant, sive lingua sua blandiebantur. Verba autem gutturi attribuit ut alibi sæpe: exaltationes Dei in gutture eorum; eo quod litteræ quadam adminiculo gutturis efferantur (quæ idcirco à grammaticis Hebræis gutturales sunt dicte;) quia etiam sermonis initium est in gutture, vox enim procedit ex gutture, & sermo in ore perficitur. Præterea quia etiam guttur apertum est ad interiora usque viscera, quæ cum assimilaverit sepulchro, ideo dixit: sepulchrum patens est guttur eorum &c. Ceterum vox *נעמה*, est adjectivum fœm. gen. positum sine substantivo, quod est, dictio aut locutio: sic alibi dicitur, & alimentum ejus est pinguis, scilicet ovitis. Et sicut grex tonfarum, nempe ovium. Et dives autem dura loquitur, verba, & his similia, ita R. D. Kimhhi.

Graphica ibi est impiorum descriptio & pravæ consuetudinis ipsorum effigies, tales enim interiora sua ac exteriora exhibent membra iniquitati ad iniquitatem, seque totos sce- leribus devovent, ut impietati subserviant affectu, cogitatione, verbo atque opere. Unde propter obstinatum eorumdem nequitiam Propheta pronuntiat: iudicia illos Deus. Hebr. errare fac eos, Chald. condemna eos. Delinquere fac eos, non quidem ita ut in peccatum inducas, sed consilia in vanum dissipet & irrita facias. Perinde ac si diceret non conveniat eorum votis, nec succedat ipsis illud, quod adversum me cogitaverunt exequi. quod ipsum est mox sub- junctum: decidant à cogitationibus suis. At qui Græcam lectionem: iudica illos, vel Chaldaicam: condemna illos, potiorum haberi volunt: prophetiam inibi esse, non imprecationem vel maledictionem dicere coguntur. non enim optat David sanctus ut eveniat, sed cernit pro tremenda Dei iustitia, & fatidica sua facultate quid eventurum sit. Contingit namque impiis iustum Dei iudicium, non quia videtur optatum; sed quia tales sunt ut merito illis contingat. Secundum ergo multitudinem eorum expelle eos, sive respice eos ut Arabica, id est, pro meritis depelles eos à te. Elegans metaphoræ quæ vim expressivis adaugeat, sumpta ab iis qui labantes impelluntur. Decedentes enim à cogitationibus à Deo repelluntur. Hoc itaque propheticum comma, & similia bene multa, per prophetam dictum non per malevolentiam, intelligitur: cum hoc dictum sit, quod necessario talibus eventurum est, qui in peccatis quæ memorata sunt, perseverare voluerunt. Ita S. Aug. Et latentur omnes &c. Et, pro ut positum, alii pro sed volunt. Latentur, vox Hebræa elevationem vocis importat præ lætitiâ. Significat laudare & extollere vocem præ lætitiâ. In æternum exultabunt & habitabis in eis. Arabica exultabunt & habitabit in eis benedictio tua: æterna nempe quæ præmium est beatitudinis perpetuæ in cælis. Juxta ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion; seu melius, benedixit nos omni benedictione in cælestibus. Pro gratia & gloria sumitur benedictio. Et gloriabuntur in te qui diligunt nomen tuum, id est, in auxilio tuo totam spem & gloriam suam, non in fortitudine & prudentia sua consili, constituent. Quoniam

tu fidelis es ad hanc iusto benedictionem praestandam, nam ut scuto bonae voluntatis coronasti eum. Affixum 13 ambiguum est ad primam personam pluralem, vel tertiam singulari masculinam significandam, ideoque ab aliis per nos redditur, per eum vero a multis & maxime ab Hebraeis, quibus propter punctum in ventre nun ita interpretari necesse fuit. Graece Eudocias ἰδὸν καὶ ἐκφραζόμενος ἡμῶν, id est favoris ac benevolentiae divinae, q. d. tu tuo favore atque ope divina, quasi tutissimo scuto coronas, seu undique cingis & munis iustos contra omnium hostium tela. Ita Chryl. & Theodoret. Arab. & veluti arma laetitiae coronasti nos. Undique enim scutum laetitiae luctum repellit ac mororem, cum servus Dei intrat in gaudium Domini sui.

Cum itaque Deus expulerit improbos, gaudebunt ii qui omnem spem suam in eo collocatam habent. Estque sensus horum verborum, & obteges eos; eris enim super eos veluti tabernaculum, ne quid iniuriae ipsis ab hostibus inferatur. Tunc exultabunt in te cum tu benedices iusto & depelles improbum: & sicut scutum quod totum hominem circumvallat, sic quoque tu cinges iustum bona voluntate tua.

Et latentur omnes. Qui filium historiae seu litterae praesens sequuntur particulam conjunctivam, & postquam volunt pro subiectiva, ut. Scilicet decidant a cogitationibus suis pessimis, quas iustos adversum machinantur, ut latentur a talibus angustiis & invidiis liberati qui spem suam in te constituunt. At non unica est, nec pluribus placet isthaec expositio, conjunctione enim huiusmodi dicunt expressam fuisse diversam iustorum & reproborum sortem, ut sit sensus. Isti nequam decidant a votorum suorum successu, sed latentur hi qui se totos tuae committunt providentiae.

IN PSALMUM SEXTUM.

Esultem cum praecedenti speciei psalmus hic est, eoque David eger ex aliquo morbo sibi in vindictam peccatorum immisso sanari deprecatur: Cujus vota a Deo benigne suscepta hostes suos in confusionis desperationem mittunt. Neque desunt tamen, qui partem unam orationis huius a Davide editam volunt, cum gravi quadam detineretur infirmitate; alteram cum jam pristinae fuisset valetudini restitutus. Mystice resurrectionis & poenitentiae, ac per hoc salutis nostrae continet mysterium. Poenitenti igitur animae proprium esse potest lugubris carminis genus isthoc, cum psalmorum plerique, qui orationum ac petitionum habent formulas, a Davide in eum fuerint usum destinati, ut ad manum essent cuiuslibet Deo devotè supplicare volentis.

1. In finem in carminibus pro octava. De voce scheminith octava, non una est omnium sententia, Hebraei communiter instrumentum octo cordarum idq; cytharam forte interpretantur, putant enim שכיניר hic esse כנור cytharam propter octo cordas quas habet.

In eoque sensu, is psalmus in octachordo canendus tradebatur citharadorum principi, hoc est intentissimo tono & voce clarissima, musices siquidem non ignorant periti octavum tonum supremum atque intentissimum esse. At Christiani interpretes qui psalmorum in titulis mysteria subodorantur, per octavam, diem iudicii, aut perennem beatitudinis requiem praefigurari sciscunt, ac multa de sacramento huius numeri luculenter differunt quae apud ipsos omnino consuli velim. Veniet octavus iudicii dies, qui meritis tribuens quod debetur, jam non ad opera temporalia, sed ad vitam aeternam sanctos transferet, impios vero damnabit in aeternum.

2. ad 5. Domine, ne in furore tuo arguas me &c. Eandem sed diversis verbis more Hebraico replicat Propheta postulationem; qua cordis sui vehementissimum expressit desiderium, ne videlicet pro toto divinae iustitiae rigore delicta sua vindicentur; non emendari refutat & corripit, inquit Hieronymus, sed in furore & ira, quia infirmus sit & turbata sint ossa eius. q. d. si me propter iniquitatem corripias, id ne fiat quae in furore tuo, quia totum immensa irae tuae impetum impossibili mihi proflus est sustinere; cuius rei rationem subdit. Miserere mei, non ostendas contra stipulam potentiam tuam, sed mirifica misericordiam tuam erga imbellem: infirmus sum pro peccato: sana me quia medicus es. Ego sum aegrotus

tu es medicus; ego sum infirmus per peccatum, tu sana per misericordiam. Peculiare est iratis & male habentibus ut suos ipsi sermones concidant.

Quam damnationem metuens orat Ecclesia in hoc psalmo dicens, Domine, ne in ira tua &c. Dicit etiam Apollolus iram iudicii: thesaurizas tibi, inquit, iram in die irae iusti iudicii Dei. In qua se non vult argui, quisquis in hac vita sanari desiderat. Nec in furore tuo corripias me. Corripias, minus videtur: ad emendationem enim valet. Nam qui arguitur, id est, accusatur, metuendum est ne in finem habeat damnationem sed ego puto unam rem duobus verbis significatam nam in aliis prius invenitur ira, deinde furor: in aliis prius furor, deinde ira: in aliis pro furore indignatio ponitur, aut bilis, sed quidquid illud est motus est animi provocans ad poenam inferendam. Qui tamen motus non tanquam animae Deo tribuendus est, de quo dictum est, tu autem Domine virtutum cum tranquillitate iudicaris Non ergo cadit in Deum iudicem perturbatio: sed quod in eius ministris fit, quia per leges eius fit, ira eius dicitur. In qua ira non solum argui se non vult anima quae nunc orat, sed nec corripit id est emendari vel erudiri quid ergo iste orat qui non vult in ira Dei vel argui vel emendari? quid nisi ut sanetur? ubi enim sanitas est nec mors metuenda est, nec urentis aut secantis medici manus.

Clarius hoc expressit Arabica, 6 Domine mi, ne in ira tua reprehendas me, neque in furore tuo intruas me & anima mea contristata est valde, seu impatiens facta est valde.

Fractus sum morbo, restitue mihi vires pristinas; robur abcessit, nullam habent ossa compaginis soliditatem, & ego quoque metu mortis conterritis sum. Sed tu Domine usquequo perges me ex cruciare, vel non medeberis mihi, inquit Origenes? Cur differes auxilium tuum? aposiopesis anxio & expectanti auxilium familiaris.

Quoniam conturbata sunt ossa mea. Per ossa corporis praecipuum robur & quasi basim, ipsum corpus intelligit; vel eo certe loquendi genere utitur ad exprimendam doloris acerbationem. Ossa mea turbata sunt, & anima turbata est valde, eo quod timeam & anxie metum ne moriar ob istum morbum. Sed tu Domine usquequo atteres me morbis, nec me fanabis.

Convertere Domine &c. A furore irae tuae qua contra me excandescis; redi inquam & libera animam meam ne moriar ex hoc morbo. Salvum me fac propter misericordiam tuam, non propter iustitiam meam. Scio enim me esse reum. Existimabant hostes Davidis Deum recessisse ab eo, propterea dicit, revertere ad me, pristinae valetudini me restitue.

6. ad ultimum. Quoniam non est in morte qui memor sit tui &c. Id est, inter mortuos non est qui memoriam tui excitet in animis viventium, neque in inferno qui laudes tuas celebret apud viventes, incitando illos ad te laudandum & tibi servendum. Ita Jansen. Genebrardus utrumque refert ad damnatos in inferno, qui Dei neutiquam memores inveniuntur ad laudes eius celebrandas. Alii de corporibus extinctis & in sepulchro jacentibus haec intelligi volunt; corpus enim post egressum animae, inquit Kimchius, muti instar lapidis jacet, descenditque in sepulchrum. Optat David servari in vita q. d. serva me ut te laudare possim, nam si morior, quis erit tui laudator inter homines, tot impiis laudem tuam tibi invidentibus.

7. Laboravi in gemitu &c. Valde affligor & fatigor gemendo & suspirando, adeo ut lavem per singulas noctes lectum meum, in quo adulterium perpetravi, & sic perpetuis lacrymis eluam crimen unius noctis. Chrysoft. & Euseb. in catena. Lavabo per singulas noctes, sive natate faciam ut habet textus Hebraicus, hyperbole est ostendae morbi acerbitati & amaritudini aptissima.

8. Turbatus est a furore oculus meus. Id est, propter furorem tuum, seu propter morbum a furore tuo mihi immisissum. Turbatus est Heb. corrosus, detritus est, tum dolore, tum lacrymis. Quae ab emunctae naris auctoribus sic reddi solent: Nitorem suum amisit oculus meus, aut facies mea tabida facta est & senium contraxit, planeque deformata est praesumpta indignatione qua indignor hostes meos letari ob morbum meum. Adde & ista, facies mea similis facta est panis a tinea corrosio, aut similis faciei cadaveris, id est, omnino obscurata est ob &c. In veteravi inter omnes inimicos &c. Id est, consenui, incanui q. d. tanta tristitia & dolore conse-

5. p. 12. 18.

Interruptione silentium interpositum.

atum sum, ut ante senectutis tempus canos contraxerim, in praesentia hostium meorum, illis videlicet videntibus & irridentibus, sed corrosus, putruit oculus meus sumi debent hyperbolicè.

9. Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem &c. Prophetice hoc potuit a Davide languente pronuntiar, ut qui praecius erat recessus & confusionis inimicorum suorum, qui pudore suffusi abire jubebantur propter impetratam lacrymis ac flecibus sospitem vitam melius ob hospites Davidis lacrymas ac fletus. Exaudivit vocem fletus mei, id est impetravi quod flendo postulaveram a Domino. Imperative sumendam moneo sententiam, iis qui Prophetam a confortio pravorum separandum se velle decernunt. Eandem repetit sententiam per tautologiam in exultantis animo frequentem.

11. Erubescant & conturbabuntur &c. Cum sanatus fuero, tunc omnes inimici mei erubescant & conturbabuntur, avide enim mortem meam expebant. Terrebuntur ergo

quia regem me diutius habituri sunt, quam putarant. Versum etiam imprecative sumi nihil vetat. De pudore nobili, qui bonum afferat & poenitentiam operatur, comma istud intelligunt non pauci, inter praecipuos Kimchius, sic enim reddit: mox ut viderint rem non evenisse, sicut futuram existimaverant, ad me revertentur, ut deinceps mecum pacifice vivant, & ex ipso momento pudore mei causa suffundentur.

Jam quod mysticam psalmi huius, ac sui similibus expositionem spectat, peculiaris a nobis hic minime afferenda videtur, cum totus ejusdem contextus operis tropologiam respiciat, atque ad allegoriam subinde, vel anagogiam nulla vi sese patjatur detorqueri. Inique ergo fecissemus, si rem totam perfectam habuisse non contenti, inquireremus in singula verba, eaque ad mysticos sensus exigere satageremus. Infelicem propterea hanc diligentiam ab interpretibus gravibus saepe ac luculentis orationibus castigatam ex animo profus abjicimus.

INDEX OMNIUM OPERUM HIERONYMI

Cum censuris, in quinque digestus ordines, per D. Erasmus Roterod.

Quo magis perspicuum fiat, quantum Christianus orbis debeat Hieronymo, visum est indicem omnium quae scripsit attexere: quem in quinque digestissimos ordines.

Primus habeat τὰ γενικά, de quibus nulla dubitatio sit, quin ab Hieronymo sint edita.

Secundus habeat τὰ ἀποστολικά, de quibus jure quis ad dubitet, illius sint necne.

Tertius, τὰ ἱστορικά, quae falso titulo Hieronymum auctorem mentiuntur: atque hujus ordinis tres erunt classes. Prima indicabit erudita, nec indigna lectu. Secunda, impudentissimè tributa Hieronymo, aut aliis auctoribus. Tertia docta, sed suis titulis auctorem restantia, quae tamen Hieronymianis lucubrationibus fuerant admixta.

Quartus ordo ostendet ex Hieronymianis, & alienis commixta, seu (ut verius dicam) confusa.

Quintus indicabit ea quae aut culpa temporum intercederunt, aut certè nondum prodierunt in lucem, ut hinc ad vestigandum incitentur studiosi.

PRIMUS ΤΩΝ ΓΝΗΣΙΩΝ ΙΔ ΕΣΤ ΕΟΡΟΜ quae verè sunt Hieronymi.

Ad Heliodorum exhortatio de laude vitae solitariae. Quanto amore. Tomo primo. Folio 1.

De vita clericorum, ad Nepotianum. Petis à me. tomo. 1. fol. 4.

Epitaphium Nepotiani, ad Heliodorum avunculum. Grandes materias. tomo. 1. fol. 7.

Institutio monachi, ad Rusticum Gallum. Nihil Christiano. tomo. 1. fol. 11.

Ad Florentium monachum familiaris. Quantum beatitudinis. tomo. 1. fol. 18.

Ad eundem familiaris. In ea mihi parte. tomo. 1. fol. 18.

Institutio filiae infantulae, ad Latam. Apostolus Paulus. tomo. 1. fol. 19.

De custodia virginitatis ad Demetriadem. Inter omnes materias. tomo. 1. fol. 22.

De servanda viduitate, ad Salvinam. Vereor ne officium. tomo. 1. fol. 25.

De viduitate servanda, ad Furiam. Obscras literis. tomo 1. fol. 27.

De monogamia, ad Geruntiam. In veteri via. tomo. 1. fol. 30.

Institutio infantulae, ad Gaudentium. Causa difficultatis. tomo. 1. fol. 34.

Institutio monachi, ad Paulinum. Bonus homo. tomo. 1. fol. 35.

De laudibus Acellae, ad Marcellum. Nemo reprehendat. tomo. 1. fol. 40.

Marcellae viduae epitaphium, ad Principiam. Saepè & multum. tomo. 1. fol. 40.

Invitatio ad secessum Bethlehemiticum, sub nomine Paulae & Eustochii. Mensuram charitas. tomo. 1. fol. 42.

Eadem de re, ad eandem suo nomine. Ambrosius quo. tomo. 1. fol. 44.

De xeniolis missis, ad Eustochium. Parva specie. tomo. 1. fol. 45.

Eadem de re, ad Marcellam. Ut absentiam corporum. tomo. 1. fol. 45.

De custodia virginitatis, ad Eustochium. Audi filia. tomo. 1. fol. 46.

De conversione Blefillae, ad Marcellam. Abraham tentatur. tomo. 1. fol. 53.

De exitu Leae, ad Marcellam. Cum hora fermè. tomo. 1. fol. 53.

Epitaphium Blefillae filiae, ad Paulam. Quis dabit capiti. tomo. 1. fol. 54.

Consolatio super obitu uxoris, ad Pammachium. Sanato vulnere. tomo. 1. fol. 55.

Epitaphium Paulae, ad Eustochium filiam. Si cuncta corporis. tomo. 1. fol. 58.

Exhortatio ad perfectam vitam, ad Lucinum Beticum. Nec opinanti. tomo. 1. fol. 66.

Epitaphium Lucini Beticus, ad Theodoram uxorem. Lugubri nuncio. tomo. 1. fol. 66.

Epitaphium Fabiolae, ad Oceanum. Plures anni sunt. tomo. 1. fol. 67.

Familiaris Epistola, ad Theophilum. Ex eo tempore. tomo. 1. fol. 69.

Consolatio caecitatis, ad Abigaum presbyterum. Quamvis mihi multorum. tomo. 1. fol. 69.

Eadem de re, ad Castrutium. Sanctus filius meus. tomo. 1. fol. 70.

Consolatio in rebus adversis, ad Julianum. Filius meus frater. tomo. 1. fol. 70.

De relinquendo saeculo, ad Exuperantium. Inter omnia quae. tomo. 1. fol. 71.

Reconciliatio matertera Castorinae. Joannes idem Apollolus. tomo. 1. fol. 72.

Familiaris, ad Julianum diaconum. Antiquus sermo. tomo. 1. fol. 72.

Familiaris ad anachoritas Syriae, ad Theodosium. Quam vellem. tomo. 1. fol. 72.

Familiaris, ad virgines Hermonenses. Chartae exiguitas. tomo. 1. fol. 72.

D d d iij